Dissertatio inauguralis medica de podagra eiusque curatione magnetica ... / [Johann Christian Esau].

Contributors

Esau, Johann Christian, 1680-
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

[Jenae] : [Literis Mullerianis], [1718]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cf473m9m

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

22

Q. D. B. V.

DECANI MEDICÆ FACVLTATIS

JO. HADRIANI SLEVOGTI

M. D. ET PP. ITEMQVE MED. PROVINC.

PROLVSIO SOLENNIS INVITATIONIS

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

PODAGRA EJUSQVE CURATIONE MAGNETICA

EXHIBENS

ὑπολείμματα quædam παραλείπομενα

THEMA DIATRIBES ATTINENTIA.

JENÆ LITERIS MVLLERIANIS.

DECANVS MEDICÆ FACVLTATIS BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

DUM in eo ſum, ut publicæ invitationi ad inauguralem clariſſimi ſummorum in Medicina honorum Candidati

JOANNIS CHRISTIANI ESAV
Mengeringshuſani Waldecci,

diſſertationem, proluſionem, ceu introitum ad eam, inveniam, en ipſum thema ventilandum copioſas materias ſuppeditat, quibus multas paginas implere poſſem, niſi legentibus grata, iſtiusmodi præfationum brevitas, prolixitatem prohiberet.

Levi itaque tantum brachio paucas particulas conqueram, *præcautionem* affectus ejusque *curationem*, (genuinas iſtas & potiores Medici occupationes) ſpectantes atque amplificantes, & ceu *reliquias*, ab Autore diatribes quaſi *prætermiſſas*, exemplis illuſtrare conabor, cauſarum interim atque ſignorum doctrinam, per incuriam Phyſicorum ad Medicos devolutam, lubens præteriturus.

Cum § 11 & 31 Diſſertationis, inter media, invaſionem dolorum *avertentia* motus pedum commendetur, fidem dictis per obſervationem 46, Cent. 3, Salmuthi, quam *Poda-*

gra

gra præcautio inſcripſit, conciliabo, ubi alienum atque proprium experimentum verbis ſequentibus exponit; *Joannes Jeniſchius aſſerebat, jam diu ſe ex podagra laboraſſe, niſi, baculo innixus, ſummo conatu incedendo, præludia illius avertiſſet, vel potius conſumſiſſet. Quod & de meipſo firmare poſſum. Alius enim in lecto certe decubuiſſet; ego vero, in deſpectum doloris, circumcurſitavi, & motu illo materiam evaporare potius feci, quam ſedem ibi figere permiſi.* Addo: Juvat, ſed non ſemper.

Alterum ὑπόλειμμα concernit non minus τὴν προφυλακὴν, quam θεραπείαν, eſtque remedium, quod Franciſcus Alexander, Vercellenſis, in Phœbo medicorum, *ſingulariſſimum, neminem fallens præſidium, cœlitusque & altis de mentibus delapſam, podagricos, cum calloſis articulorum contractionibus, ſanandi rationem* vocat. Fluit iſtud ex ſola *victus pleni & opipari*, in *tenuem & ſimplicem* mutatione: cujus manifeſtum effectum duo clariſſimi viri, § 34 & 45, exhibent: quorum unus Rogatianus, Senator Romanus & deſignatus Prætor, a Porphyrio, in vita Plotini, citatur: alter autem Franciſcus Pechius, Ducis Vercellenſium magnificus Conſiliarius ab Alexandro ſalutatur. Hi admodum podagroſi, quamvis pares in recuperanda ſanitate fuerint, prorſus diſcrepantem tamen ad iſtam felicitatem perveniendi occaſionem habuerunt.

Rogatianus enim, cum ſedulus Plotini, Platonicæ ſectæ Philoſophi, auditor eſſet, *animum*, verbis Alexandri, *usque adeo ab hac vita ſegregavit*, ut non ſolum, rei familiaris curam negligens, ſervos omnes expelleret, oblatamque prætoriam dignitatem recuſaret, ſed rigido quoque diætæ regimine inſtituto, & abrogata ferculorum multitudine, cibum indies tantum unicum aſſumeret. Qua continentia in victu, cum morum temperantia combinata, id aſſecutus eſt, ut, cum antea neque progredi, niſi ſella vectus, neque manum extendere va-

leret, hisce artubus postmodum expedite uteretur, egregiumque speci en salubriter ἑαυτὸν τιμωρούμενος, *sibi ipsi auxiliantis*, sisteret.

Per longe aliam, & a Rogatiana distinctissimam medendi methodum Pechius, præter suam voluntatem quidem, attamen plene sanatus est. Cum enim, jam quinquagenarius, diuturnisque pedum doloribus oppressus, ex itinere, Ducalium negotiorum causa instituto, a quodam Marchione, hoste suo, in castellum, Versellis vicinum, abductus, in ergastulo, per viginti annos, tenui victu uti cogeretur; intra istud tempus adeo bene convaluit, ut per Gallos, arcem armata manu occupantibus, ex carcere dimissus, simulque dolentissima quondam τῶν ποδῶν ἄγρα, *pedum captura* solutus, Versellas, primariam Libicorum urbem, sine baculo ingredi valeret.

Simili fere ratione refert Schenckius, lib. 5 observ. p. 682 ex Wirsungo, civem Landsbergensem opulentum, aliud agentem, sanum evasisse. Cum enim ex podagra, per intemperantiam contracta, pedum impotens, servorum humeris fulciri deberet, tandem, per continuatum luxum & otium, ad extremam paupertatem, & frugalem victum redactus, pristinum crurum robur recepit, ut cum corbe dorsuali, mercibus vendendis onusto, trans altissimos montes, nullo amplius morbo impeditus, discurreret.

Quæ § 45, nonsolum contra vini abusum, ex Avicenna, sed ejus *usum* quoque *omnem*, ex Rhase leguntur, confirmat, præter alios, etiam Trincavellus, cujus verba Jo. Rud. Camerarius, in Syll. mem. Cent. 8, partic. 54 transtulit: *Novi Medicum senem Venetiis, qui eum non parum infestaretur podagra, ad senium saltem primum, ac per quinquennium ipse sibi vinum interdixisset, liber ab istiusmodi molestia ita evasit, ut amplius, ad ultimam senectutem, imo ad mortem, suorum dolorum expers fuerit.*

Vix mitior de *cerevisia*, in ποδαγριώντων gratiam, sententia

ferri

ferri poteſt. Eſt enim ille liquor, in continua fermentatione conſtitutus, ut, largius potus, temulentiam inferat, igni traditus, ſpiritum inflammabilem eructet, ſibique relictus, in acerrimum acetum abeat; ideoque, in diſpoſitis ſubiectis, moleſto ventriculi ardori, hinc calculo & podagræ materiam præbeat. Ut proinde tutiori via incedant, qui, dolores metuentes, vel cum Dolæo vaccinum & caprillum lac, (cui Itali & Galli Aſininum præferunt) vel ejus ſerum bibunt, vel, ſi hoc ventriculus hypochondriacorum & ſcorbuticorum tolerare detrectat, *ſimplicem*, eamque puram, *aquam*, utpote a ſapientiſſimo univerſi Conditore, noſtræque incolumitatis amantiſſimo Curatore, omnibus animantibus deſtinatum potum, reliquis, vel cito & aperte, vel tarde & clanculum nocentibus anteponunt. De aqua audiant podagroſi Jo. Bruyerinum, lib. 16, de re cibaria, c. 13, ita loquentem: *Annotatum eſt eos, qui, inter initia podagræ dolorisque articulorum, vini potum ſubtrahunt, & ad aquam confugiunt, magnificum ſentire præſidium, ac pene* DIVINUM: *fere compertum eſt, aquæ potatores raro aut nunquam podagricos aut chiragricos effici*, &c. quibus addo: niſi ex *hereditatis* aut *reliquæ diætæ vitio* tales evaſerint.

Quando podagram curaturis, § 43, repellentibus pharmacis, ob periculoſam interceptionem, aut μετάϛασιν materiæ peccantis interdicitur, nemo Medicaſtrorum, imitationem naturæ moliminum prætendendo, ſuæ audaciæ reatum excuſare debet; quaſi ſperandum ſit, continentem morbi cauſam, ad pedes commeantem, & per repellentia ad pectus retruſam, eadem ſucceſſus bonitate per tuſſim exituram eſſe, qua Gabelchoverum, apud Schenckium, l. c. p. 681, obſervaſſe legitur, *conſiliarium Principis, podagra vehementer afflictum, decumbente ad pulmones humore, & tuſſim, cum rejectione copioſa excitante, plane podagra immunem per plures annos permanſiſſe.* Quippe mille caſus de ſiniſtris turbatæ

naturæ effectibus testantur, quibus unum tantum juvenem, nuper opem meam implorantem, addam. Hic, postquam intra octennium varias regiones peragrando, etiam per plusculos menses in Austria & Hungaria, fœcundis illis podagræ genitricibus, substiterat, &, ante unum atque dimidium annum, domum redux factus, assidue chirothecas suendo, omnem corpori motum denegaverat, acerbis pedum doloribus, absque notabili tumore corripiebatur, quorum mitigationem, cum per cataplasma, ex albumine ovi, alumine, farina fabarum & camphora, specioso *infallibilis paregorici* titulo commendatum, acquirere speraret, non solum hos, post aliquot horarum lapsum, atrocius in pedes reverti, sed trans femora, & ultra regionem ossis sacri, cum anxietate, & respiratione difficili assurgere sentiebat, ut extrema instare, æger & adstantes crederent; quem tamen Dei gratia, per nervina & diaphoretica, servabat.

Possent hæc, prolusionis loco afferenda, sufficere, nisi inscriptio dissertationis, *magnetici* quid promittens, & clariss. Autoris singularis in talismodi auxilia propensio, adhuc notabile ὑπόλειμμα, ceu symbolam aliquam, a me exigeret. Aperiam igitur candide arcanum, podagram, per transplantationem, & magneticam, *mumialemque* (ut monstrose loqui amant) quandam morbi ex homine in arborem tractionem, funditus tollendi rationem, ab Illustri Persona, (non sine meo in sinu risu) in aurem communicatam. Instante novilunio, (wann noch kein Mond am Himmel ist) extrahitur ex brachiis, pedibus, & *membro genitali*, (forsan in pœnam lasciviæ) scarificatis sanguis, & cum urina mistus, affunditur radici salicis; cujus superstes viriditas certissimam sanitatis spem promittit, superveniens marcor autem incurabile malum minatur.

Nunc ad ἔρχον deveniam. Natus est clarissimus Candidatus Mengeringhusii, in Waldeccia, A. O. R. M DCLXXX, mense

mense Junio. Pater fuit vir integerrimus, Bartholom. Esau, Aurifaber & peritiss. sigillorum sculptor, nec non redituum Senatus Curator. Mater pia & honesta Fœmina, Cath. Elisabetha, ex Felgenhauerorum stirpe orta. Fundamenta pietatis & literarum habuit a B. Stutenio, tum Conrectore, post Rectore scholæ patriæ, & Diacono Ecclesiæ vigilantissimo. Donec adultior factus, a Corbachensis Gymnasii clarissimis moderatoribus, Dn. Francisco Scipione, Rectore, nunc ecclesiæ ibidem Pastore, ac Dn. Josia Strubenio, Conrectore, jam Ensæ Pastore, ad cultum humaniorum studiorum & Eloquentiæ, ipsiusque Philosophiæ ac Theologiæ principia manuduceretur, ut tandem in Gymnasio Mindensi, ad Wisurgim, per dexterrimam informationem præclarissimi Rectoris, M. Christiani Grübelii, Adjuncti quondam ampliss. Facultatis Philosoph. hujus Acad. & Dn. Henrici Hartogs, meritissimi Conrectoris, Academicis acroasibus aptus redderetur. Quibus Rinteliæ, in auditoriis philosophicis non minus quam theologicis, summe reverendorum Doctorum atque P. P. Dn. Kahleri & Dn. Kiskeri, Superintend. generalis, eo cum successu interfuit, ut, sub hujus præsidio, disputationem de *Morte & sepultura Christi*, publice & cum applausu defendere auderet. An. MDCIC adiit Salanam nostram, & a B. Velthemio, Pro-Rectore Magnifico, in civium numerum receptus, hujus non solum & B. Bechmanni Scholas Theologicas, sed Danzianas etiam, Hebenstreitianas & Hambergerianas, linguas orientales, ethicam & physicam tradentes, diligenter frequentavit. An. MDCCI in aulam Serenis. Sax. Ducis, Jo. Ernesti, Saalfeldam evocatus, per integrum septennium Ducalium liberorum informationi operam dedit. Inde ad nos reversus, medicum studium, a teneris in deliciis habitum, cum theologia combinaturus, præter privatissimam venerandi Academiæ nostræ senioris, D.D. Krausii, doctissimamque Physiologiæ explicationem,

nem, illustris D. Georgii Wolffgangi Wedelii, Hereditarii in Svvarza, M. D. & P. P. famigeratissimi, Com. Pal. Cæs. Sacræ Cæs. & Cathol. Maj. ac Serenis. Sax. Duc. Consiliarii, Vinariensis Aulici & Archiatri excellentissimi, spectatissimique Facultatis nostræ Senioris, privatim institutiones, mater. med. chymiam & praxin clinicam, publice autem physiolog. patholog. & semioticam solidissime docentis, assiduus auditor fuit. Nec minori diligentia publicas magnif. & excell. D.D. Joh. Adolphi Wedelii, Med. & Phil. D. & P. P. celeberrimi, itemque Medici Duc. Prov. Saxo-Vinariensis, & civit. Jenensis Physici meritissimi, chirurgicas & de mat. med. lectiones prosecutus est. Me domi chirurgica, anatomica & chimica docentem audivit sedulo, nec publice in cadaveribus humanis explicata viscera spectare, vegetabiliumque characteres & vires discere neglexit. Quibus rebus factum est, cum M DCCXI, d. 4 Junii, in numerum Candidatorum recipi peteret, ut, post exhibitum nostro Collegio sufficientis eruditionis specimen, ab eodem primum honoris gradum, titulumque Baccalaurei assequeretur. Ab eo tempore Praxin sectatus est, eamque nostratibus non minus, quam ex Pyrmontanis fontibus sanitatem haurire cupientibus ægris, probavit. Id quod ut porro cum majori splendore fiat, complementum honorum, titulumque Doctoris decenter impetrare decrevit, eumque in finem, pro impetranda istum capessendi licentia, sub meo Præsidio, instante die VIII Augusti, de *Podagra* solenniter disputare decrevit. Ad hujus enim mali coercitionem sibi usu probata auxilia, pro tempore adhuc inter arcana reservanda, obtigisse credit, quorum nomina, typis mandata, dissertationi inseri, facile toleravi, nec magnetica curandi rationes expungere volui, cum nihil equidem, quod religioni adversetur, continere videantur, sed per crebra tamen experimenta, a suspicione *vanitatis*, *otiosorumque ingeniorum lusibus*, se vendicare debeant. Ut autem actus disputatorius solennior evadat, magnifici Pro-Rectoris regentis, nec non magnifici Pro-Rectoris designati, Procerumque Academiæ reverendorum, & Hospitum ac Fautorum nostræ Artis honoratissimorum præsentiam, ea, qua par est, veneratione ac diligentia, nomine Facultatis, expeto. PP. sub ejusdem sigillo, d. VII Augusti, M DCCXVIII.

L.S.